

maxime eam impendit tempore tribulationis, et quo afflictor quisque est, eo propior ipsi est et paratior ad opitulandum, juxta id Psalmi. XC. *Cum ipso sum in tribulatione.* Colligere id possumus ex languido jacente ad piscinam per annos triginta octo. Hunc enim: *Cum vidisset Jesus jacentem et cognovisset quia jam multum tempus haberet, necnon quia omnium miserri- mus non haberet quemquam qui eum mitteret in piscinam, adeoque desperatus esset, præ reliquis sanavit, Joan. V. indicans ibi divinum succurrere auxilium ubi deficit humanum.*

Quarto, non contentus nostras miseras suble- vare, voluit easdem quoque in se sentire, imo etiam a nobis in se transferre; quod ut facere posset, naturam humanam assumpsit, in qua non solum miseras nostras sensit, nobis com- patiendo et nobiscum lacrymando, sed etiam in se transtulit, pro nobis patiendo; qui profecto summus misericordiæ gradus est. Hoc indicavit Dominus in parabola de ove perditâ, quam in- ventam herus imposuit in humeros suos et detulit ad ovile, suos pedes ac vires concedens ovisculæ delassatæ, suo labore quietem ei pa- rans, Luc. XV.

Visa hac tanta misericordia, nostrarum par- tium est primo, Deo pro tantis miserationibus immortales agere gratias, easque cordi nostro firmiter insculpere ac dicere cum Davide, Ps. CII. *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniqui- tatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Hæmorrhœissa illa in gratiarum actionem, quod a Christo sa- nata esset, statuat eam effingi et præ foribus suis statui curavit cum effigie sua prostrata ad Christi pedes, Sozom. I. V. c. II. Niceph. I. X. Carolus M. imperator cum post diuturna bella, victoriam de Saxone et Saxonia adhuc gentili reportasset cœlesti auxilio, locum obtentæ victoriæ in perpetuum beneficii memoriam appel- lavit *montem adjutorii*, teste Cranzio, I. II. c. IV. ad exemplum scilicet Samuelis, qui et ipse ob victoriam cœlesti ope partem erexit lapidem ad rei memoriam vocans eum *lagidem adjutorii*, I. Reg. VII. Quando igitur et nos per Dei miseri- cordiam et sanati sumus a peccatis nostris, et victoriam reportavimus de diabolo; nonne æquum est ut hoc beneficium insculpamus cordi nostro, et statuamus ibi Deo nostro æter- num monumentum?

Deinde, nostrum est confidere in Deo, et tan- to quidem magis, quanto res nostræ afflictiores et desperatiores sunt. Quanta in angustia erant res Davidis, cum a copiis cinctus undique in oppidum coronæ desperaverat se posse evadere?

Repente tamen sensit mirum Dei præsidium, quando insperatum Sauli nuntium venit, infu- disse se Philisthæos in ipsius terras; unde coac- tus Saul deserere Davidem, majorique necessi- tati consulere, salutem Davidi reliquit, qui in ea angustia Deum invocarat Psalmo illo LIII. *Deus in nomine tuo saluor me fac*, ut ostendit titulus. Quam in arcto erant res Judæorum, cum Amanis factione omnes ad necem destinati essent, diesque internecioni jam decreta? At inde tamen mirabiliter et repente erepti sunt opera Estheris et Mardochei, dantes illis gra- tiam Deo in conspectu regis et vertente iram ejus in Amanem.

Denique, nostrum est misericordiam repen- dere: quod facere poterimus, si misereamur pauperum, in quibus esurit Deus, habiturus quasi sibi datum, quidquid ipsis dederimus. Alioquin jure merito poterit increpare nos voce illa: *Serve nequam, nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Matth. XVIII.

IV. Quælis Dei justitia? Primo, tam exacta est, ut in omnia omnino etiam levissima pecca- ta animadvertat, nisi per penitentiam hominis deleta fuerint. Sic enim legimus in evangelio Matth. XII. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii.* Et sicut haustus aquæ frigidæ datus sitienti non perdet mercedem suam, Matth. X. ita vicissim minima injuria Deo vel proximo illata reperiet multam suam.

Secundo, tam certa est, ut sit inevitabilis. Vigilat enim super peccatores, eosque semper observat quocumque eant; unde Jer. I. voca- tur *virga vigilans*. Eam inter cæteros expertus fuit Jonas, qui primo quidem tentabat effugere Dei manum ac virgam, cum a facie ejus fugit, navim inscendens et pergens in Tharsis, sed ibi mox deprehensus et immissa tempestate proditus ac demum retractus est ad munus sibi injunctum exequendum. Idem sensit Anastasius imperator Eutylianæ hæresis fautor, qui ut refert Zonaras, to. III. «Deterritus est somnio. Vidit enim virum terribilem, qui librum manu gestans diceret: Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deiec, et quia fatale sibi esse ex oraculo didicerat, ut fulmine interiret, Tholotum ædificium constru- xit, in eoque degit, sed frustra. Nam cum ali- quando tonitrua horrendum in modum resona- rent et fulgura multa eliderentur atque ipse perterritus e cœnaculo descenderet, et alios atque alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus est inventus.» Hæc ille. Sane fulmine, quod se putabat effugere, ictus est, ut Cedrenus explicat. Ac licet subinde Deus

PROBATUR EXISTENTIA REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA.

I. Ex Scriptura. — II. Ex Conciliis. — III. Ex praxi Ecclesiæ. — IV. Ex miraculis. — V. Ex Lutheri testimonio.

THEMA.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. ult.

Legimus IV. Reg. II. Eliam cum jamjam a Deo tollendus esset, et Elisæus ejus discipulus deserere eum nollet, dum in turbine tolleretur, pallium ei suum dereliquisse: quo quidem Eli- sæus mirabilia patravit. Nobis etiam, auditores, discedens in cœlum Christus reliquit in sola- tium pallium humanitatis suæ in eucharistia. Ita enim S. Chrysost. hom. II. ad pop. Antioch. ait: *Elias melotem discipulo reliquit: Filius au- tem Dei ascendens nobis suam carnem dimisit, sed Elias quidem exutus, Christus autem et eam nobis reliquit, et ipsam habens ascendit.* Hoc indicavit Dominus cum ascensurus dixit: *Ecce ego vobis- cum sum, etc.* Sed occurrunt nobis Calvinus et Zwinglius quasi prædones duo, conantes nos spoliare melote ista, dum realem Christi in eucharistia præsentiam evertere ejusque loco figuram tantum et umbram illius substituere conantur. Verum absit ut sinamus nobis eripi hoc pallium et veritatem corporis Christi. Ita- que pro ejus defensione pugnemus, auditores.

I. Scriptura id aperte assertit et unanimi con- sensu, Matthæus, c. XXVI. Lucas, c. XXII. Marcus, c. XIV. aiunt Dominum dixisse: *Hoc est corpus meum:* et Joannes, c. VI. *Caro mea vere est cibus, et san- guis meus vere est potus:* ibidem Dominus quin- quies se esse panem assertit: accedit S. Paulus, I. Cor. X. *Calix cui benedicimus, nonne communi- catio sanguinis Christi est? Et panis quem frangi- mus, nonne communicatio corporis Christi est? Et c. XI. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, etc.* Jam vero verba Scripturæ proprie accipien- da esse clamant indesinenter, ipsimet expressi verbi Dei præcones. Cur igitur hic ab expresso verbo Dei ad figuras et metaphoras descendunt? Sed figuram hic nullam esse probatur.

Primo, quia verba illa institutionis eucharis- tiæ legem continent: *Hoc facite in meam commemorationem.* Verba autem legis, nisi clara expres- sa et propria sint, legislatoris insipientiam arguunt et facile excusant eos qui contra legem agunt. Possunt enim dicere subditi: Si legislator noster observari vult legem suam, aperte nobis loquatur.

Secundo, quia verba illa testamentum, seu voluntatem ultimam testatoris continent; eam

differat ultionem, minimè tamen fallit, ut sen- sere impii in diluvio quod centenis annis prius quam immissum foret, ipsis prædictum fuerat, nulla tamen ratione creditum; sed derisum, (ut scribit Pærosus Chaldaeus, l. I.) tandem vero elapsis centum annis, manibus palpatum. Sen- sere Amalecità, qui quoniam Hebræis transitum denegarant in terram promissionis, post trecen- tos primum annos jussu Dei a Saule delèti sunt, I. Reg. XV.

Tertio, tam severa est, ut nemini prorsus parcat, etiam amicissimis alioquin, si deliquè- rint. Non pepercit nobilissimo angelo, non primis nostris parentibus, imo nec Filio suo, qui ex charitate alienas in se suscepit culpās; non pareit in purgatorio justis et dilectis suis animabus, ut vel unum quadrantem remittat, nisi interveniant preces Ecclesiæ.

Quarto, tam gravis et horrenda, ut nullis sæculi hujus severitatibus comparari queat. Hinc enim apostolus ad Hebr. X. scribit: *Horren- dum est incidere in manus Dei viventis:* et si teste eodem apostolo, I. Cor. II. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt illum,* sequitur vicissim reproborum pœnas inestimabiles etiam esse. Colligi id potest ex compluribus divinæ justitiæ operibus, exterminio malorum angelo- rum, exilio protoplastorum, cataclysmo, incen- dio Sodomæ, plagis Egyptiacis, excidio Jero- solymæ, pœnis gehennæ æternis et igne inextinguibili. Atque ut hanc justitiæ severita- tem firmiter animo imprimeremus, voluit quandoque Deus statuere posteris monumentum aliquod supplicii de nocentibus sumpti, veluti cum mortem aliasque calamitates primis nos- tris parentibus et posteris eorum decretas gus- tare in dies cogimur; rursus cum uxorem Loth in statuum salis convertit; cum terram Sodo- marum in fetidissimum lacum quasi in orcum mutavit, etc. Unde jure exclamamus cum pro- pheta Ps. LXXXIX. *Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare? Et rursus cum Jeremia, cap. X. Quis non timebit o rex gentium? Et cum Joanne Apoc. XV. Quis non timebit te, Domine? Quis non omnis generis tribulationes alacriter amplecti, quis non spon- taneas pœnas et carnis castigationes malit suscipere, quam incidere in manus Dei viven- tis? Quis non libenter, ut has manus evadat et in securo portu se constituat, voluptates, hono- res et divitias hujus sæculi contemnat et arc- tam salutis viam capessat? etc.*

vero propriis et claris verbis exprimendam esse quis dubitat? Nam si quis moriens legasset tibi equos suos, num tu contentus fores aut esse posses, si hæredes pictos tibi obtrudere vellent equos? Annon testator ideo testamentum condidit, ut pacem inter hæredes suos firmet, ne qua occasio sit inter eos dissentiendi? Quomodo igitur hoc efficeret si metaphoris et impropiis vel amphibologicis intricatisve uteretur verbis? Annon magis tricas excitaret? Atqui Christus Dominus hic testamentum condidit, unde ait: *Hic est calix novi testamenti*: idem etiam dixit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Joann. XIV. Et præterea hoc ipsum sacramentum instituit ad unionem Christianorum conciliandam. Quomodo ergo sibi ipse contrarius erit?

Tertio, quia verba illa continent instructionem; siquidem iis instruere voluit apostolos, quomodo et ipsi eucharistiam conficere et populo porrigere deberent: *Hoc facite, etc.* Jam qua ratione apostoli nos docerent aut communicarent, si ipsimet ambiguis verbis perplexi facti fuissent? Annon artium magistri captui discipulorum se accommodant et relicto suo loquendi modo, more discipulorum loquuntur, ut disciplinæ capaces faciant?

Quarto, quia verba illa continent donum exemplum juxta id Joann. VI. *Panis quem ego dabo vobis, caro mea est, pro mundi vita*. Jam si princeps aliquis arcem tibi promittat, postea arcem tibi in tabella depictam mittat; quæro num hæc liberalitas homine ingenuo, nedum principe digna esset? Ac si conquerente te, princeps responderet: Ne indigneris, arx enim depicta modo quodam, per metonymiam vera dici arx potest. Annon magis rideri te existimares, et de principis infidelitate conquereris? Absit ergo, ut dicamus Dominum nostrum tam munificum et prædivitem illudere nobis voluisse: et pro corpore suo gloriosissimo, quod promisit, figuram ejus tantummodo dare voluisse. Accedit, quod hac ratione manna patrum præstantius donum fuisset, quam nostra eucharistia (cujus tamen figura solum fuit manna), erat enim cœlitus et miraculose datum, erat confectum angelorum manibus, sapidissimum, etc. Nihil horum est in eucharistia. Unde sic figura præstantior foret figurato, quod est absurdissimum.

Denique, sæpius quidem usus est Dominus figuris et tropis, sed vel non in similibus casibus, vel si usus est, eas mox declaravit, quo sensu locutus sit. Id quod in hac institutione non fecit. Ita cum dixit: *Ego sum vitis vera*, statim se explicuit, cum addidit: *Et vos palmites*. Vera enim vitis tantum erat respectu vitis infœcundæ, quæ facit labruscas, etc. sicut nos sumus palmites, ita ipse vitis.

II. Idem docet consensus Conciliorum et patrum, tam veterum quam novorum: et hæreticorum debellatio. Definita est hæc veritas in VII. Synod. act. VI. t. III. Concil. Constant. f. VIII. et XV. Florentin. in litteris unionis et instruct. Armen. Trid. s. LVII. Plura eaque XXII. Concil. recenset Thomas Bozius, de signis eccles. l. XIII. c. IV. patres antiquissimos triginta novem, c. III. consensum expressum omnium orbis nationum, cap. V. vaticinia duodecim veteris testamenti, c. VI. figuras tredecim, cap. VII. testimonia veterum rabbinorum duodecim, l. XIV. c. 1. oracula Sibyllarum quatuor, cap. II. hæretici denique qui contra sentiebant, omnes confutati, damnati et extincti sunt. Talis imprimis Joannes Scotus, qui in Concilio Vercellensi damnatus est, obiit an. 883. graphiis puerorum, quos erudiebat, confossus, teste Malmesburiensi, lib. II. c. IV. Ducentis post annis Berengarius, secutus libellum et hæresin Scoti, idem asseruit, qui pluribus Conciliis damnatus, tandem revocavit errorem et in fide catholica obiit. Controversia iterum sopita, anno 1380. a Wiclefo ejusque sectatore Hussio iterum excitata est, qui in Concilio Constantiensi damnatus sunt. Denique, nostris temporibus Calvinus eandem resumpsit et adhuc tenet. Jam sic argumentor.

Primo, usque ad tempora Scoti illius per octingentos annos nihil de hac hæresi cuiquam innotuit, aut in mentem venit. Ab obitu Scoti usque ad Berengarium per ducentos annos, sepulta fuit: iterumque ab obitu Berengarii usque ad Wiclefum per trecentos annos: denique, ab obitu illius usque ad Calvinum per annos centum et amplius. Vel ergo per id tempus Ecclesia alicubi fuit, vel nusquam: non posterius, ut fatentur. Si prius; ergo vel manifesta fuit, vel occulta et in Cimmeriis tenebris, ita ut qui vellet Ecclesiam intrare, prius lucernam accendere debuerit ad eam investigandam. Hoc absurdum tum ratione Ecclesiæ, quæ non patitur se abscondi, tum quia nequeunt ostendere, ubi et in quibus delituerit. Ostendant enim per quos secta illa continuata et propagata sit. Sequitur ergo manifestam fuisse, et hæc nulla alia fuit, nisi catholica, quæ contra istos sensit; ergo recte etiam sensit.

Secundo, alterutrum concedi debet, vel Concilia illa et innumeros illos veteres et novos, eosque occultatissimos patres, in re tanta dormitasse et delirasse per tot sæcula; et plus intellexisse illos novatores, Scotum, Berengarium, Wiclefum, Calvinum, quam omnes illos: vel contrarium asserendum. Illud nemo nisi insanus dicat. Quis enim tantis Ecclesiæ luminibus, viris sanctitate, gloria miraculorum, et partim mar-

tyrio illustribus homines novos, sceleratos, a Conciliis damnatos præferat?

Tertio, pertinax ille prorsus et reprobus fit, qui ventilata et decisa eadem sententia, a pluribus academiis diversis et florentissimis, diversis item temporibus; et repudiata unanimi consensu contraria, nolit acquiescere: sed sententia hæc catholica a tot diversis Conciliis ss. patrum variis temporibus semper definita fuit; contraria vero damnata; reprobi igitur Calvinistæ et refractarii.

Denique, vel recentiores sancti, quos fatentur adversarii nobis consensisse, quique in catholica Ecclesia vixerunt et in eucharistia Deum coluerunt et crediderunt, fidem hanc tenuerunt, defenderunt, eucharistiam adorarunt, etc. idololatræ fuerunt, vel Calvinistæ mentiuntur. Ex illis fuere S. Anselmus, S. Malachias, S. Bonaventura, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Thomas Aquinas, S. Franciscus, alique quam plurimi, qui mira patrarunt quæ dæmonum ope fieri nequeunt; etiam cum de fide non agebatur. Isti igitur idololatræ sint, quorum sanctitatem Deus miraculis comprobavit? Et hæretici nostri evangelistæ sint, qui ne unam quidem muscam revocare in vitam potuerunt? Cum vicissim illorum aliqui mortuos suscitarent, uti Malachias et Franciscus.

III. Idem etiam praxis Ecclesiæ probat. Primo enim, fideles eucharistiam non modo adorabant, sed etiam non adorare piaculum habebant. Unde S. Augustinus, in Ps. XXXVIII. ait: *Non solum non peccamus adorando, sed peccamus non adorando*. Quod adeo verum est, ut ethnici propter adorationem illam eucharistiæ Christianos Cererem et Bacchum adorare dicitarent, teste B. Aug. l. XX. contra Faustum.

Secundo, summam adhibebant diligentiam, ne de eucharistia quid in terram caderet. Unde communicaturi manus supponebant, ne quid forte in terram caderet: et ita quidem, ut sinistra dextera supponeretur tamquam sedes dextræ concavæ, ut refert Dionysius Alexand. ep. V. ad Sixtum papam, Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi mystag. V. sacerdotes vero si quid in terram cadere vel in altare stillare patiantur aut effundant, gravibus castigantur pœnis in canonibus, de consecrat. dist. II. Inter alios Pius 4. papa ait: « Pœnitentiam agant quadraginta diebus, si in terram aliquid deciderit, etc. Ubicumque ceciderit, si recipi potest, labatur: sin aliter, aut lavetur aut radatur, quidquid lotum aut rasum est, comburatur et cinis in sarrarium reponatur. » Similiter et laici reos se credebant et recte, teste Origene, hom. XIII. in Exod. si quid elabi sinerent.

Tertio, non nisi jejunis communicare licebat.

Unde B. August. ep. ad Januarium ait: « Placeat Spiritui sancto ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi: » et Sanctus Chrysostomus, ep. III. ad Cyriac. accusatus quod non jejunos ad communionem admitteret: « Si hoc feci, inquit, expungatur nomen meum ex albo episcoporum, et ex libro orthodoxæ fidei, et abiciat etiam me Christus a regno suo. »

Quarto, locis et vasis ornatissimis asservabatur, aureis et argenteis vasculis; ut ex VI. Synodo patet. Multis in locis olim aurea vel argentea columba, ut ex gestis S. Basilii habetur.

Quinto, catechumenis eucharistiam ne videre quidem concedebatur: *Non initiatis*, ait Basilius, l. de Spiritu sancto, *nec intueri fas est*.

Sexto, quod omnem superat admirationem, sancti patres tanta veneratione hoc sacramentum prosecuti sunt, ut, quemadmodum olim Judæis nomen Dei tetragrammaton pronuntiare non licebat, de eo vix apertius loqui auderent. Hinc enim S. Augustinus, de eucharistia loquens frequenter illis verbis utitur: *Norunt fideles, etc.* et S. Chrys. *Novistis vos qui estis initiati*. Quæro jam, si eucharistia nihil aliud esse censebatur olim a Christianis, quam panis et vinum vulgare, solaque figura Christi, quo fine tantus ei honor habitus adeoque divinus? Quid? Nonne aqua baptimatis, Spiritus sancti gratiam et unctionem significat? Et ubi ei similis honor habitus? Ubi ea adorata, in terram fundi prohibita, ubi aureis vasis inclusa, cui aspici interdicta? Ubi de ea aut simili re sacra scriptum legimus, quod Paulus de eucharistia scribit, 1. Cor. XI. quod: *Qui manducat indigne, reus sit corporis et sanguinis Domini*? Ubi hoc de paschali agno vel manna dictum, quæ figuræ erant eucharistiæ? Nonne tam mali quam boni iis vescebantur impune? Quomodo ergo, si eucharistia item figura tantum est, reum constituit qui indigne eam sumit?

IV. Idem docent miracula in confirmationem hujus veritatis facta. Primo, de quodam hæretico refert Paulus diaconus, in vita S. Gregorii, cum conaretur sacram hostiam per contumeliam deglutire, versam esse in lapidem in ejus gutture. Dignum patella operculum, ut is qui credere noluit, verti posse panem in corpus Christi, experientia discere debuisset, verti posse in lapidem.

Secundo, beatus Optatus Milevitanus, l. II. contra Parmen. refert episcopos Donatistarum cum sacram hostiam suis canibus objicerent, ab iisdem morsibus esse dilaceratos. Tertio, in vita S. Antonii de Padua legitur Bononillum hæresiarcham de eadem veritate contendisse

cum Sancto Antonio et conditionem hanc obtulisse, ut si mulus ejus famelicus ad eucharistiam honorandam prius accurreret quam ad pabulum propositum, se crediturum. Acceptavit conditionem vir sanctus et missa facta, protulit in publicum eucharistiam, et adjuravit mulum tri-duena inedia confectum, uti in virtute creatoris sui quem revera manibus gestaret, accederet et reverentiam ei præstaret, quò circumstans hæreticorum turba crederet. Mirum! Animal, relicto pabulo, occurrit ad eucharistiam, et curvatis genibus demissoque capite eam se venerari indicavit; magno catholicorum plausu, hæreticorum confusione. Quarto, S. Bernardus virtute s. eucharistiæ dæmones ejecit (ut refert Wilhelmus abbas; in ejus vita) cum his verbis: *Adest, inique spiritus, judex tuus, adest summa potestas; jam resiste si potes.* Jam vero quis discere ausit Deum edere miracula in confirmatione rei falsæ? Annon eo ipso Deus errores plantaret et propagaret, hominesque deciperet? Sed negant illi hæc omnia facta esse, vel aiunt dæmonum ope patrata. Quid? Tot tantisque historicis fidem non dabimus; et hæreticis pauculis novatoribus credemus? Ope dæmonum si fieri miracula in confirmationem falsitatis permitteret Deus, nisi eadem contrariis destrueret et ficta ostenderet, perinde foret ac falsitatem ipsam confirmare. Absit igitur ut hoc faciat Deus, et facilius est nobis dicere: Calvinus mentitur, Zwinglius mentitur. Aliam historiam scribit Thomas Waldensis, lib. sacramentali contra Joan. Wiclefum his verbis: « Historiam refero, quam ego præsens vidi oculis carnis meæ, in cathedrali ecclesia S. Pauli Londini, ubi venerandus Cantuariensis antistes felix recordationis Thomas Arundelus filius et frater comitum, pro loco iudicii (assistentibus sibi Norvicensis Ecclesiæ tunc præsule Alexandro et aliis) residens episcopali sede, verba quædam et interrogationes proponebat de fide eucharistiæ ad quemdam sartorem de partibus Wigornia deprehensum in hæresi. Cumque flecti omnino non posset, nec aliud quam benedictum panem, sacratissimam hostiam volebat appellare vel credere, tandem jussus facere reverentiam hostiæ, respondit blasphemus: Vere, inquit, dignior est aranea reverentia. At illico de alto culmine tecti descendens ingens et horrida visu aranea, ad os blasphemæ directo filo pervenit. Et dum sartor loqueretur, ut intraret per polluta labia aranea, sollicitè laborabat. Adstitit illustris princeps Thomas Oxoniensis dux tunc regni cancellarius et vidit prodigium. At prædictus archiepiscopus statim surgens cum aliis, exposuit omni illic collecto populo, quid xultrimanus Domini faceret in blasphemum. » Hæc ille.

V. Ipsemet Lutherus fatetur, in l. de missa angulari, diabolum diu secum disputasse, ut hæc sibi hæresin persuaderet. Quis autem dubitat hæresin persuadere voluisse patrem mendaciorum et hæreticorum? Sic enim et B. Fulbertus episcopus Carnotensis affirmabat, diem extremum agens se diabolum vidisse tenui flatu homines impellentem ad Berengarium, olim discipulum suum, qui post Scotum, ut vidimus, hæc hæresin docuit.

Tandem provocemus ad Deum judicem et contendamus cum illis, quasi jam in extremo iudicio constituti et interrogati circa hunc articulum de eucharistia: Cum Dominus quæret a nobis, cur hæc de eucharistia fidem tenuerimus, respondeat nobis licebit: Si in hoc erravimus, a te Domine decepti sumus, qui nos ita docuisti expresso verbo tuo. Numquid tibi de te credere non debebamus? Deinde, consensus Ecclesiæ tuæ nobis idem persuasit: accessit ejusdem praxis: miracula etiam plurima. Ad hæc audiebamus dæmonem contendisse semper evellere fidelibus hunc articulum, utque patrem mendaciorum, sed quid respondebunt Zwingliani et Calvinistæ? Si enim dicant: Nos Calvinus ita docuit, etc. audient: Nonne ego contrarium docui? Nonne et apostolus meus? Et nonne apostolus ille scripsit: *Etiamsi angelus de cælo vobis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit?*

Maneat ergo hæc de s. eucharistia inconcussa fides, in qua nos conservare et salvare dignetur Deus, cui sit honor et gloria.

CONCIO VII.

CAUSÆ, CUR IN SOLEMNITATE CORPORIS CHRISTI, SOLEMNI PROCESSIONE CIRCUMFERATUR EUCHARISTIA.

I. Ut sic fidem nostram protestemur. — II. Ut Christo debitum honorem deferamus. — III. Ut gratos nos exhibeamus Christo. — IV. Ut sic compensemus Christo injurias pro nobis acceptas. — V. Ut hoc præsidio urbem nostram muniamus.

THEMA.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. ult.

Stupendum humilitatis et pietatis exemplum præbuit David, II. Reg. VI. cum de domo Obdedom introduceret arcam fœderis in civitatem suam. Ipsemet enim: *Percutiebatur in organo armigatis et saltabat totis viribus ante Dominum, ac cinctus ephod lineo. Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in jubilo et in clangore buccinæ.* Quæ dum ipse magna cum laude et summa pietate faceret, Michol ejus uxor regem subsannavit quasi rem scitri-

lem et rege indignam designasset. Sed tantum abest, ut hæc obtreptione David a proposito suo dimoveretur: ut magis etiam eo continuando firmaretur. Davidis exemplum imitatur Ecclesia dum solemnè pompa deducit et comitatur eucharistiam, quam repræsentabat arca (ut enim in arca servabatur manna, ita in speciebus panis latet corpus Christi.) Et quidem optima mente ex mera in Deum pietate et observantia facit hoc Ecclesia; non desunt tamen hæretici, qui cultum et solemnitatem hanc subsannent, quasi rem nugatoriam, imo idololatriam peragamus. Sed absit a nobis ut his sannis moveamur; quin potius alacrius in cæpto pergamus; et in præsentiarum ostendamus, quam recte et laudabiliter instituerit hoc Ecclesia.

I. Ut hæc ratione fidem nostram publice protestemur adversus hæreticos, et victoriæ de illis obtentæ trophæum ostendamus. Hanc enim protestationem exigere videtur a nobis ipsa ratio temporis, quò fides catholica floret, nec impeditur amplius, ut olim per gentes, a solemnè hac professione. Olim quidem Christiani dominantibus adhuc gentibus confessi quidem semper sunt hujus sacramenti veritatem, sed ob immania pericula non audebant ita publice id facere, nec pretiosam margaritam producere in lucem, ne porcorum (gentilium) pedibus conculcarentur: atque ita Christus ibi velut in Ægypto delituit, donec adolesceret, et mortuo Herode prodiret. Ubi verò pax Ecclesiæ reddita est, tum ipsa magis magisque extulit vexillum hujus sacramenti; et tandem anno 1264. Urbanus papa IV. solemnitatem hanc instituit postquam Christus B. Julianæ alisque quibusdam famularibus suis insinuasset festi hujus institutionem inchoandam et promovendam, apud Car. Sigon. de rebus Ital. anno 1264. Equissimum igitur est, ut omnes Christiani in hæc solemnitate veritatem hujus sacramenti publice profiteantur. Quod si Joannes evangelista de quibusdam principibus, qui crediderunt quidem in Christum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne eji-cerentur de synagoga, dixit: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Joan. XII. quid quæso diceret de nobis, si modo cum omnis timor pœnæ abest, ob solam obtreptionem paucorum hæreticorum, veritatem hanc publice confiteri non auderemus? Novimus quid Christus dixerit. Luc. XII. *Quicumque confessus fuerit me coram hominibus: et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.* Merito igitur hæc solemnitatem publice et quam possumus celeberrime peragimus cum pompa et ornatu, cum musica et organo, cum loribus et ramis, campanarum et tubarum so-

lenu, etc. ut his quasi concordibus et intrepidis vocibus fidem, adeoque Christum ipsum confiteamur.

Deinde, eo ipso quo nunc Calvinistæ et Lutherani adversantur huic veritati (dum illi omnino hi vero negant extra sumptionem esse Christum in sacramento) deferendum a nobis est alacrius et cordatius, ut eorum errorem et novationem confundamus: *Ipsique in conspectu tanti splendoris debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti aliquando resipiscant,* ait Conc. Trid. sess. XIII. c. V. De Cisca hæreticorum in Bohemia duce et antesignano refert Enas Sylvius, l. III. comment. de rebus gestis Alphonsi regis, quòd cum variis tumultibus catholicos vexasset, moriturus præceperit, uti mortuo sibi pellis detraheretur et tympanum inde fieret, quò in præliis pulsato suorum accenderet animos; et catholicos vel mortuos terreret. Sed licet peccator ista dentibus suis fremeret et tabesceret, desiderium tamen ejus perit. Nos longe efficacius medium opponimus hæreticis ad retundendam eorum perfidiam, dum s. eucharistiam a tempore apostolorum semper venerationi habitam et jam ultra 350. annos tali solemnitate cultam, etiamnum totis conatibus colimus et palam circumgestamus, hoc tympano humanitatis Christi nobis relicte auribus eorum obstrepimus, ut vel errorem agnoscant suum, vel saltem confundantur. Sic confusi sunt principes sacerdotum et Scribæ cum audierunt infantes Christo acclamantes in templo: *Hosanna filio David,* indignati enim dixerunt Domino: *Audis quid isti dicunt?* Quibus ipse: *Utique nunquam legistis, quia ea ore infantium et lactantium perfecisti laudem?* Matth. XXI. Non potuerunt illi coercere infantes, ne clamarent: nec coerebant nos hæretici, ne in hæc solemnitate Christo acclamemus: *Hosanna filio David.* Convincit enim vel unica hæc solemnitas omnes novatores, quæ jam ultra 350. ut dixi, annos viget, cum ipsorum sectæ vix centum sint annorum. Et verò jure meritoque solemnitas hæc instituta: quia sententia hæc catholica, de existentia reali permanente Christi in sacramento, jam olim tot præliis vicerat. Vicit enim Joannem Scotum, qui primus huic veritati contradixerat circa annum Domini 870. in Synodo Vercellensi condemnatum omnium sententia, postea anno 883. graphiis puerorum, quos erudiebat, confossum teste Malmesburiensi, l. II. c. IV. forsitan in penam erroris, quem invenit. Vicit et Berengarium, circa annum 1500. qui tandem errorem, quem ex Scoto hæuserat, condemnavit, et edita poenitentia mortuus est. Vicit obstinatum quemdam clericum in Lesmof, oppido Hiberniæ, qui postquam suis contumaciæ pœnas dedisset, gravi infirmitate divinitus